Nouvelle Série
No. 18

MANDATUM

QUO INDICITUR SECUNDA DIŒCESANA SYNODUS

JOANNES LANGEVIN,

Dei et Stæ Sedis Apostolicæ gratia
Episcopus Sti Germani de Rimouski,

Sæculari et Regulari Clero,

Salutem et Benedictionem in Christo-Jesu.

Fere elapsum est secundum lustrum a sessione primæ diœcesanæ Synodi nostræ, Dilectissimi Cooperatores, et tempus pridem opportunum Nobis videtur ut denuo convocentur presbyteri, ut cum clero nostro expendamus quanto profuerint Statuta tunc promulgata et quænam præsentes necessitates requirerent.

Hisce igitur nostris litteris, de consilio Venerabilium Capituli et Canonicorum cathedralis nostræ, nobis visa est secunda Synodus diœcesis nostræ convocanda, et in Seminario nostro die 26a augusti proximi sessura. Pridie habebitur actio præsynodalis.

In hoc cœtu peculiari modo agitabuntur exitus in exequendis usque nunc primæ Synodi Statutis, modificationesque vel elucidationes eisdem afferendæ; et dein novas Constitutiones elucubrabimus quæ postulabuntur præ cleri populique statu.

Ne in parœciis interea deficiat competens numerus sacerdotum, ad hanc Synodum vocamus :

Vicarium Generalem nostrum,

Capituli Præpositum et nostræ cathedralis Canonicos,

Cancellarium, Secretarium, et Assistentem Secretarii Episcopatus nostri,

Vicarium Foraneum nostrum pro Gaspesia et omnes Archipresbyteros,

Omnes denique Parochos qui hoc anno spiritualibus exercitiis interesse debent. Cœteri autem Parochi à nostra episcopali civitate non ablonge residentes, si prudenter arbitrantur a parochia absentare, poterunt etiam adesse.

Ut autem primo in deliberationes nostras cœlestium luminum abundantiam exposcamus, jubemus omnes diœcesis sacerdotes in missa recitare collectam de *Spiritu Sancto*, servatis rubricis, a prima die augusti ad finem Synodi. Volumus insuper universos christifideles rogatos ut domi in hunc finem pias fundant preces.

In quartis vero primis dominicis mensis augusti proximi, post parochialem missam, Sequentia *Veni Sancte Spiritus*, ante ordinarias preces *pro Papa et Ecclesia*, ad eamdem intentionem cantabitur.

Datum apud Stum Germanum de Rimouski in nostra episcopali domo, sub signo sigilloque nostris ac Secretarii nostri chirographo, hocce primo die julii A. D. 1879.

† JOANNES, EPUS. STI. GERMANI DE RIMOUSKI

De mandato Illmi. ac Revmi. Eppi Sti. Germani,

ALF. PERCY PHILLIPS, Pter.,

A Secretis.